



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118030**

§. 63. Interpretatio Regulæ S. Francisci.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

Sæcul. XIII.  
A. C. 1230. atque immemor, quid Summi Pontificis præsentis reverentiæ deberet, S. Antonio in faciem ingessit, quod insolentissime mentiretur. Sed Papa, re dicta pensata, munere Generalis Ministri Eliæ adempto, Fratres, se præsentem, alium jussit eligere. Non fuit difficile negotium, quippe Fratres uno quasi suffragio Joannem Parentium, tunc provincialem in Hispania Ministrum, patria Florentinum, spectatæ pietatis virum, Ministrum Generalem sibi cooptarunt, Papa lubenter hanc electionem confirmante.

## §. LXIII.

*Interpretatio Regulæ S. Francisci.*

*Vad. n. 14.* Verum non obstante querela, contra Fratrem Eliam mota, superest nobis Bulla, hoc anno, dum Capitulum celebrabatur, ad explicandam S. Francisci Regulam data, sive illa eadem sit, quam Elias impetraverat, sive alia postmodum concessa. In ea memoratur, quod Fratres, in Capitulo Generali congregati, eorumque Minister Generalis, Summo Pontifici exposuissent, dubitare se, an tenerentur secundum literam servare S. Francisci Testamentum, in quo Regulæ verba interpretari, vel quascunque  
litteras

Sæcul. XIII.  
A.C. 1230.

litteras ad explicandum eorum sensum a sacra Sede petere prohiberentur. Gregorius Papa eorum scrupulum removet, declarans, quod non obligentur ad servandum hoc Testamentum, sine communicatione Ministrorum, aliorumque Ordinis Fratrum, conditum. Quod etiam tunc solum ad servanda Consilia Evangelica teneantur, ubi diserte Regula, tanquam de præcepto, id exigit. Quod non obstante præcepto, ne per se ipsos, vel alios pecuniam accipiant, si quædam necessaria emere velint, aut rerum emtarum pretium solvere, possint Benefactori suo, eis hanc eleemosynam impertienti, virum exhibere, qui debitum statim solvat, aut pecuniam cuidam Fratrum amico custodiendam tradat, qui eam, postulante Fratrum necessitate, ut videbitur, vel ut ab ipsis monitus fuerit, impendat.

Regula diserte prohibet, ne Fratres vel domus, vel alicujus loci, vel cujuscunque rei, proprietatem habeant; sed non nulli asserebant, rerum mobilium proprietatem toti Ordini communem esse. Quam quæstionem Papa ita definit. *Declaramus, Fratribus nullam debere esse proprietatem, nec communem, nec privatam, sed solummodo usum librorum, aliarumque rerum mobilium,*  
*secus*

Sæcul. XIII. *secundum dispositionem Superiorum, sub*  
A.C. 1230. *vo dominio, id est, proprietate illorum,*  
*ad quos domus, vel alia loca pertinent.*  
*Res mobiles Ordinis sine auctoritate Car-*  
*dinalis Protectoris non veniuntur, aut*  
*ad alias manus deferantur. Præterea*  
*hæc Bulla alias Constitutiones, de pot-*  
*estate Fratribus pœnitentiam imponen-*  
*di, de eorum Approbatione ad prædi-*  
*candum, de susceptione tyronum, de*  
*electione Ministri Generalis, & accessu*  
*ad Monialium domos, complectitur, est-*  
*que die vigesima nona Septembris, an-*  
*no millesimo ducentesimo trigesimo*  
*data.*

## §. LXIV.

*Inter Papam & Imperatorem Pax*  
*succedit.*

**I**nter hæc negotium reducendæ pacis  
 inter Papam, & Imperatorem ferve-  
 bat. *ap. Rain. n. 4* Nam die tertia Julii Imperator,  
 præsentibus duobus Legatis, Joanne E-  
 piscopo Sabinensi, & Thoma Presbytero  
 Cardinale S. Sabinæ, juramento se ob-  
 strinxit, quod se voluntati Ecclesiæ im-  
 pliciter, & nulla præmissa conditione  
 vellet submittere. Tum ad præfectos  
 mandata directa, ut urbes Regni Sici-  
 liæ, quæ se Pontifici subjecerant, quin  
 tamen